

621.

24. Ergò armis resistendum? Neq; hoc licet. Ad majestatis jura pertinet armorum exercitium, quomodo ergò Subditis, salvâ Majestate, iis utetur adversus Magistratum? Manet Magistratus & à DEO ordinatus quocunq; etiam modo abutatur concessâ sibi potestate. Huic igitur qui resistit, ipsi auctori hujus ordinationis resistit. Quamobrem & primitiva Ecclesia jure capitis supplicio affectum censuit civem illum Nicomediensem, qui Diocletiani & Maximini edictum, contra Christianos promulgatum conserpsit, uti testatur *Eusebius l. 7. hist. Eccles. c. 5.* Et rarò felices habuerunt successus, qui insurgere ita contra Magistratum, & illicitis armis defendere religionem voluerunt.

25. Preces piæ arma Ecclesiæ sunt; his utatur impunè subditus; his pondus inest ingens, & quod de solio deturbavit non semel Tyrannos. *Ambrosius* adversus Reginae (Arianæ Justinæ) furorem non se manu defendebat aut telo, sed jejuniis, continuatisq; vigiliis sub altari positus defensorem sibi atq; Ecclesiæ parabat DEUM. Dumq; hoc in longum diversis machinis & oppugnationibus *Justina* moliretur, *Maximus* datis literis impium protestatur inceptum, fidem DEI impugnari & statuta catholica Ecclesiæ subruï & inter hæc appropinquare Italiae cœpit. Quo *Justina* comperto hoste simul & impietatis conscientia urgente in fugam versa cum filio exilia, quæ DEI sacerdotibus præparabat, prima sortitur, quemadmodum refert *Ruffinus l. 2. c. 16.*

26. Ex quibus manifestum putamus, non posse dari ullum casum, quo adversus supremum Magistratum subdito arma capere liceat, parricidiiq; se obstringere crimine eos, qui vel sicariâ manu trucidant Imperantes